1582 17/8

Responsum V Cap. ad q. a Rmo proposita

Anno 1582 die 17 Augusti Rmus in christo Pater Dns Cromerus D G Epus Varm convocato Vi Cap. Varm. Haec capita proposuit de quibus eruditionem ac sententiam eiusdem Cap. postulavit sibi impartiri

1 De contractibus Usurariis de emptione pecuniae Haereditariae quae dimidio tantum vel minori pretio emitur

2 De nobilibus possidentes bona libertinorum utrum teneantur arces veteres diruere et novas construere licet id in eorum privilegiis sit expressum Tum et de libertinis in quorum privilegiis nihil de illo onere est cautum utrum et ipsi sint obligati ad eiusmodi onera praestanda

3 De libertinis an et illi qui habent subditos exemplo nobilium a contributione regia sint immunes de mansis praedialibus

4 Utrum Vasallus non habens privilegium ex sola possessione aliquot annorum possit contra dominum praescribere feudum praestationis et servitiorum

5 Demodo sublevandi tenuiorum parochiarum egestatem et in primis in Bartein

V Capit. Responsio

De contractibus Usurariis deque pecuniae haereditariae emptione Visum fuit contractus omnes quidem esse ad formam illam accomodandos quae tum in Extravagantibus Martini et Calixti pontificum quae in Pii quinti erat praescripta Verum de pecuniae haereditariae emptione causam esse plenius ac dilucidius formandam Romamque mittendam Dubium enim non esse eam rem vitio Usurae non esse obnoxiam

2 Bona libertinorum empta vel aliomodo acquisita a nobilibus consuetudine diuturna sortiri libertatem nobilium bonorum nihilque circa aedificia Dominis a nobilibus eorum nomine iuxta communem huius provinciae consuetudinem praestari solere non obstantibus quod in privilegio antecessoribus libertini concesso addita sit clausula de veteribus diruendis et novis aedificandis aedificiis

p. oplac. bibl. 1929

Quia neque libertinis in quarum privilegiis nihil de oneribus eiusmodi disertè expressum sit, ad ea onera obligatos esse, sed ex eo tandem videtur regula omissum pro omisso haberi. Privilegiaque (quae strictissimi iuris sunt) contra concedentem semper esse interpretandum atque idem quoque in dictionibus capitularibus ita firmari

3 Caeterum libertinos habentes proprios subditos immunitate nobilitatis semper fruitos antea fuisse atque in eiusmodi casibus favores esse ampliandos et odia constringenda. Idquod in proximo conventu dioecesano omnium assensu approbatum fuisset.

4 De Vasallo non habente privilegium videri eum feudi possessionem contra dominum praescribere non posse nisi aliquando vel saltem semel in 30 annis servitium militare aliaue Vasalli officia praestitisset vel pro servitio aliquid solvisset. Tunc enim videtur esse tacito consensu Domini in Vasallum receptum fuisse et in eo casu praescriptam possessionem haberi vim privilegii. Si autem servitium nunquam praestitisset nec pro eo aliquid solvisset, tum videri clam possidere.

De modo sublevandi parochi Buthinensis tenuitatem supra duas decimarum et supra 2 mansos dotis plebanalis non multo plus haberet, promittit V. Cap. eidem 2 alios mansos in dicta Villa pro dote plebanali in perpetuum eidemque quam primum assignari. Acta sunt haec apud Ecclesiam Cathedralem in loco capitulari Anno et die quibus supra